

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio V.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

vocationem. Ex quo sanè produnt, se  
Vigilantij, Sanctorum invocationem,  
Imaginumquè, ac Reliquiarum (etiam  
transitivam ac respectivam) veneratio-  
nem, teste suo Alstedio *cap. 30. Chron. con-*  
*demnantis, fautores ac sectatores.*

DISSERTATIO V.

*An Catholici in Sacrosancto Einsid-*  
*lensi Sacello cum Samaritanis veteri-*  
*bus adorent, quod nes-*  
*ciunt?*

I. **H**eideggerus *S. 17.* ait: argumenta  
superius in universum religiosi-  
peregrinationibus opposita, posse eadè  
in specie, Eremitanæ opponi. Inter hæc  
autem *cit. S. 4.* sextum ponit argumen-  
tum hujus tenoris. Samaritani olim cul-  
tum Hierosolymis sine mandato trans-  
ferentes in montem Garizim, idolola-  
triæ manifesti, reiquè fuerunt. Si igitur  
idololatria quondam umbratilibus  
caremonijs adhuc vigentibus, fuit ado-  
rare Deum quasi cum fictione habita-  
tionis

tionis typicæ, sive in figurâ, quam Deus in figuram non elegerat, vel instituerat; quid non erit quasi adorare Deum, & quasi Christum cum fictione in hoc magis, quàm alio terrestri loco, quando non amplius umbræ obtinent, sed ipsa veritas venit? Huic conformiter idē Doctor Tigurinus §. I. asseruit, Samaritanos, qui deserto templo Hierosolymitano, Deum Israel in secessu montis Garizim adorârunt, non tantum à Prophetis Veteris Testamenti idololatriæ, & contaminati cultûs Divini reos graviter peractos, sed etiam à Christo Salvatore nostro purioris cultûs Divini vindice huncce in modum increpatos fuisse: *Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* Ioan. 4. cap. v. 22. Ad quod alludens cit. §. 17. concludit, quod miseri homines Sacerdotum philtris inebriati, in Sacello Einsidlensi, cum Samaritanis veteribus adorent, quod nesciunt.

II. Ecce Heideggere, quàm telum  
istud

istud in caput tuum retorqueatur? Nunquid enim Ecclesia Tigurina adorat quasi Deum, & quasi Christum in suâ Eucharistiâ, cum fictione habitationis typicæ, sive in figurâ, quando non amplius umbræ obtinent; sed ipsa veritas venit? Nunquid ipsemet Christus apertis verbis dixit de Sacramento Eucharistiæ: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus, seu Calix Sanguinis mei?* Nunquid id est, si non umbraticè seu figuratè, ac tropicè accipiatur, significat existentiam, & præsentiam realem? Ut quid ergo Ecclesia Tigurina cum suo Magistro Zwingilio, trahit veritatem tam apertam ad figuram asserendo, illa verba perinde esse accipienda, ac si diceretur: *Hoc significat Corpus meum, sive Hoc est figura Corporis & Sanguinis mei?* Unde Zwinglius habuit mandatum Dei, ut cultum Christo in Eucharistiâ, qualem vera Orthodoxa Ecclesia, ceu mystica Hierusalem, etiam Tiguri ante suam assertam Reformationem altero

ab

abhinc sæculo adhuc vigens credebat, realiter presenti debitum, transferret in Samaritanorum montem Garizim? Nunquid non veritas ipsa de Sacramento Eucharistico dixit: *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi?* Nunquid sub isto pronomine *Ego*, importatur ipsemet Christus, verus Deus & homo? Nunquid *Tò Sum*, sub illis verbis Christi importat veritatem existentiae, ac praesentiae realis? Ut quid ergo Ecclesia Tigurina sine mandato Dei transtulit veritatem in figuram? Si igitur idololatria quondam, umbratilibus caeremonijs adhuc vigentibus fuit, adorare quasi Deum in fictione habitationis typicae, sive in figurâ, quam Deus in figuram non elegerat, vel instituerat: Quid non erit, adorare quasi Deum, & quasi Christum cum fictione in Sacramento Eucharisticae, quando non amplius umbræ obtinent, sed ipsa veritas venit, ac de Eucharistiâ à se institutâ expressis verbis testata fuit, esse suum Corpus, & esse suum Sanguinem?

III.

III. Meritò igitur timendum est, ne miseri homines in Reformatâ Ecclesiâ Tigurinâ ministrorum suorum philtis inebriati, cum Samaritanis veteribus adorent, quod nesciunt sintque ad eò graviter excipiendi illâ Christi Domini increpatione : *Vos adoratis, quod nescitis.* Nâ ipsius Ecclesiæ Reformatæ ministri, speciatim Bullingerus *part. alt. advers. Brent. cap. de natur. propriet.* Calvinus *instit. lib. 4. cap. 18. sect. 11.* affirmant, antiquos Patres rectè sensisse de Eucharistiâ. At Bellarminus *to. 2. controvers. fid. lib. 2.* latè probat, per omnes ætates seu sæcula à tempore institutæ Eucharistiæ, Patres Orthodoxos semper asseruisse veram, & realem Christi in Eucharistiâ præsentiam. Quam cum Lutherus quoque, diversâ tamen ab Orthodoxis Patribus ratione, defendisset, Zvvinglius & Calvinus, eorumque sectatores antiquis hæresiarchis deteriorem proclamârunt. Et tamen nuperrimè Hottingerus in *sua synodali dissert.* suavit Tigurinæ Eccle-

Ecclesiæ, ut illam Lutheranorum, & Zvinglianorum, de Christi reali intra Eucharistiam præsentia, controversiam perinde haberent, ac si esset in materia adiaphorâ. Quomodo igitur Tigurini scire poterunt, quid adorent, & sumant in suâ cœnâ Eucharisticâ?

IV. Nos è contra Catholici, insistentes Doctrinæ antiquæ, quam Tigurina civitas elapso sæculo primùm deseruit, scimus, quod adoramus, non tantum in Eucharistiâ, Christum scilicet realiter ibi præsentem, sed etiam in Einsidlenfi Sacello. Nam supra *Dissert. 2.* validis argumentis probatum est, illud Sacellum Divinitus consecratum esse. Est autem ex sacris Litteris manifestum, res etiam corporeas propter relationem ad Deum, seu Christum, sive aliam personam sanctam, dici sanctas. Hinc enim *Exod. 3.* dicebatur: *Locus, in quo stas, terra sancta est*, propter Angeli scilicet præsentiam. Unde tali loco specialis conveniebat cultus, ita ut Moy-  
ses

ses iussus fuerit solvere calceamenta de pedibus. Et Psaltes Regius *Psalm. 131.* canebat: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Cur ergo non adoremus Christum peculiariter in Sacello per ipsum consecrato? Cur more veterum Sanctorum Patrum, non imploremus intercessionem Beatissimæ Virginis, in loco sibi per Filium suum dedicato? Cur non veneremur tale Sacellum ob Angelorum præsentiam sub ejusdem Divinâ consecratione ibidem habitam?

V. Vides igitur Heideggere, nos in Sacello Einsidlensi adorare, quod sciimus, nec adeò illam Christi Domini increpationem cadere in Orthodoxos Eremitani Divinitus consecrati Sacelli cultores, sed in eos, qui deserto hoc sacro templo, facti sunt imitatores Samaritanorum. Hi enim nesciebant, quid adorarent, tum quia habebant ritum adorandi & sacrificandi, quem nesciebant, esse à Deo profectum; tum quia suis hæresibus ac erroribus, à S.

Epi-



Epiphanio recensitis, contaminati, Deum verum unà cum idolis Afsyriorum quasi idolorum socium, ac proinde falsum, fictumquè colebant. Sed ô vos Reformati ministri attendite, ne incideritis in illam Christi Domini increpationem. Nunquid enim ipsemet Zvvinglius *Epiche. de Can. Missæ.* Calvinus *instit. lib. 5. cap. 5. sect. 10.* Bullingerus *Decad. 5. serm. 9. §. pro mortuis.* facti sunt, in veteri Ecclesiâ extitisse Missæ Sacrificium, ceu oblationem à Christi morte distinctam? Nonne in hoc præcitatæ Ecclesiæ vestræ, ut dicitis, Reformatae Doctores arguunt erroris sanctos Patres, degentes primis etiam quinque sæculis, in quibus tamen floruisse pium, & orthodoxum, de toto cœnæ mysterio sensum nullius impietatis damnandum, fatentur Calvinus *Instit. lib. 4. cap. 18. sect. 11.* & Bullingerus *supra citatus.* Quomodo ergo scitis, vestræ Tigurinæ Ecclesiæ ritum colendi Deum in Eucharistiâ, esse à Deo profectum? Et verò ipse

C

Hei-

Heideggerus idololatriæ infimulat eos, qui cum fictione habitationis typicæ, sive in figurâ adorant quasi Deum. At quia verba Christi Eucharistiam instituentis ex suâ proprietate significant realem Corporis, & Sanguinis sui præsentiam, quomodo absque fictione potest Christus adorari in Eucharistiâ, tanquam merâ Christi præsentiae figurâ? An non igitur hanc figuram majori titulo dixerim idolum, quàm illam quasi virtualem Christi in Sacello Eremitano per se ipsum consecrato, præsentiam?

DISSERTATIO VI.

*An fide historicâ certi esse possimus, apparitionem illam in Sacello Einsidlensi verè Divinam, & non potiùs ingeniosis hominum, vel sathana strophis fictam, & expressam esse?*

I. **A**ffirmat Heideggerus cit. S. 170. non deesse sibi argumenta probabilia, quibus historiam apparitionis, & dedicationis illius in dubium revocetur.